



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Dialecticam, siue Scientiam de Veritate, in decem libros
distributam

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

VII. Qua vtilitate, necessitate, ac subalternatione Dialectica obiectum
suum repræsentet?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95210](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95210)

C A P V T VII.

Qua utilitate, necessitate, ac subalternatione dialectica obiectum suum representet?

64 **T**Ametsi aliqui hodièque logicam, quia ignorant, omnino negant, & quod de Rabirio, & Amasiano refert Cicero l. 2. academ. quæst. nulla arte adhibita, de rebus ante oculos positis vulgari sermone disputant, nihil definiunt, nihil partiuntur, nihil apta interrogatione concludunt, nullam demque artem esse, nec dicendi, nec differendi putant: Ceterum logicam facultatem reuera dari, & non chemicæ artis more fingi, si tamen hæc fingitur, velut luce dilucidius ipsa suppono, ac proinde ad eius utilitatem, necessitatem, ac subalternationem pergo. Ut autem harum trium proprietatum, primam aggrediar, eam inde colligo, quod philosophiæ pars sit logica, ac simul instrumentum, quemadmodum homo membris suis, & velut instrumentis utitur, & velut partibus constituitur: quam utilis ergo est philosophia, tam non inutilis, nec inanis est logica: quantæ verò utilitatis ac dignitatis sit philosophia manifestum est. Illud etiam dialecticæ utilitatem non parum commendat quod ea usus fuerit Christus Dominus ut tradit B. Augustinus lib. 1. contra Crescon. cap. 17.

65 **Q**ua autem Ariston, Zeno, Carneades, Clitomachus, Origenes, Philo, & alij dicere solebant, teste Pierio in Hieroglyphicis, eos qui dialecticam enixiori conatu sectarentur, iis assimilari, qui cancri velcerentur: cibi enim admodum exigui gratia, circa ossa tam multa numero, tantum laboris ab eis infumi: item dialecticam iustis quidem mensuris comparandam esse, quibus tamen eius artis periti non triticum aut vile quidpiam metirentur, sed paleas aut quisquilias & id genus alia. Rursus dialecticorum sermones aranearum telis similes esse, quæ quidem artificiosè admodum elaboratæ essent, nulli vero inseruirent usui. Præterea per animaculum illud cyniphem appellatum, & ex Aegyptiorum plagis unam, intelligi debere dialecticam artem, quæ minutis & subtilibus verborum stimulis animos te-
rebrat, & tanta calliditate circumvenit, ut deceptus nec videat, nec intelligat unde decipiatur. Deinde facultatem hanc Polypi similem esse, qui præ fame suamet flagella pascitur: eius enim professores aucta iam doctrina peritiores factos, in suamet opiniones mox grassari, easque destruere: neque non æquiparari merito posse lunæ, cuius instar, alternis lucet ac deficit, decipitve, eoque solo constans est, quod nihil habeat unquam constans, certum aut stabile: eam quoque nugarum argutis & subtilitatibus, gallinaceum lac ex illo suæ copiæ cornu polliceri, rerum tamen omnium inanem esse, & quod aiunt ollas tantum ostentare: denique similem esse piscibus squama pinnisque carentibus qui in luto semper hæsitant, nec ad aquarum superficiem, aërisque participatum attolluntur unquam. Hæc, aio, & similia non dialecticam tangunt, sed neque eius professores optima re pessime videntes. Quod si vitio vertas huic facultati, nullam non damnes: ut enim Platonis in Euthidemo verba usurpem, *An ignoras, in quous studio viles & nullius pretij homines permultos esse: probos vero paucos, eosque maximo in pretio habendos esse? Nonne tibi videtur pulchrum quiddam esse gymnastica, mercatura, rhetorica, res militaris? Nonne vides in una*
P. Lyncei Philosophiæ Tom. I.

quaque harum artium multos ad opus unumquodque ineptos & deridendos. Consule Titelm. in apologia pro dial. Louanienf. in proœmial. Logicæ. Conimbric. quæst. 6. proœm. art. 1. & 2. qui & alij patrum testimoniis & rationibus huius facultatis utilitatem & dignitatem persuadent.

Præcipua autem logicæ utilitas est ad alias scientias capessendas: quare operæ pretium erit, eius ad illas concursum explicare, & qualis sit, directius scilicet an effectivus, ostendere. Nonnulli dialecticam ad actus aliarum scientiarum efficienter concurrere existimant: quia in eo concursu nulla repugnantia visitur, & aliunde dignitatem ac utilitatem dialecticæ maximè commendat. Porro huius sententiæ auctores diuisi sunt: alij enim soli dialecticæ actuali, alij actuali & habituali concursum hunc effectivum tribuunt.

Verum enim impugnari facili negotio possunt: nam, si de logica habituali sermo, nullus habitus efficit nisi actus similes iis, à quibus immediatè, & per se gignitur, si tamen hos efficit, & non porius eorum effectiorem à potentia impetrat: alioqui profectò habitus temperantiæ ad actus fortitudinis, aut iustitiæ efficienter concurreret: at habitus dialectici immediatè, & per se non generantur per aliarum facultatum actus, quos tempore, & natura plerumque antevenerunt: solumque mediatè, & occasionaliter ab eiusmodi actibus aliquando originem trahunt, ut cum occasione aliarum disciplinarum qui eis incumbit, & operam navat, simul etiam præcepta, & instituta dialectica eis utilia secum animo volutat. Deinde sicut dialectica præstet alias scientias, easque regulat, ita fides, spes, & charitatem, nec non prudentia cæteras virtutes morales: atqui neque habitus fidei theologicæ ad actus spei, & charitatis, neque habitus prudentiæ ad actus cæterarum virtutum moralium efficienter concurrunt. Denique intellectus, & habitus aliarum scientiarum, ad earundem actus efficiendos sufficiunt, & nullo dialecticæ concursu egent nisi ad tales actus dirigendos: superfluis igitur est concursus effectivus dialecticæ habitualis ad alias scientias, ac proinde neutriquam admittendus: naturalis enim ordo rerum ut necessaria postulat, ita superfluis repugnat.

Quod si de logica actuali sermo sit, ea quoque efficere nequit actus aliarum facultatum, earumque munia: tum propter rationes numero præc. positas, & huic instituto non minus quam superiori utiles, atque accommodatas; tum etiam quia alias apprehensio ad iudicium, præmissæ ad conclusionem, actus imperans ad imperatum, intentio ad electionem, simplex complacentia ad amorem efficacem, sensus materialis ad cognitionem spiritualem, cognitio ad amorem efficienter concurrerent: quod & spontè sua incredibile est, & insuper alibi ex professò impugnabitur, & à multis eorum quibuscum cernimus nequaquam admittitur. Argumentum autem partis adversariæ facile soluitur ex dictis hoc & numero præcedenti: eaque propter censeo logicam non efficere actus aliarum scientiarum sed ad eos dirigere & faciem præferre. Huiuscemodi concursum directivum & non alium admittunt plerique auctores huius arti: Eundem etiam insinuant antiqui, quoties logicam vocant alij regulam & mensuram artium, alij clypeum disciplinarum, alij formatricem sapientiæ, alij ducem atque magistram cæterarum facultatum, alij lucem earum omnium, alij examen & libram veritatis, alij clauem auream, alij rationis oculum, alij denique mundi rationalis

G hoc

hoc est humanæ mentis solem. Quis enim non videat hæc eo solum spectare, ut dialectica ad aliarum facultatum munia nos instruat, illuminet, & quod perinde est, dirigat.

69

Porrò an logica merito huius directionis necessaria sit ad alias scientias, necessarium est hoc loco explicare. Præmitto autem primò, dialecticam duplicem esse, aliam naturalem, artificialem aliam; illa est lumen naturale intellectus, quo potentia hæc spiritalis verum à falso discernere potest: qua ratione Aristoteles 1. rhetor. cap. 1. homines à natura dialecticos esse asseruit: hæc posterior in eiusdem luminis consummatione & perfectione posita est: perficitur autem & consummatur regulis & institutis dialecticis, quæ vel longa observatione ac propria industria, vel alterius doctrina & magisterio comparantur. Quod autem alij logicam naturalem ab artificiali in eo distinguunt, quod illa sine libro & magistro, secus verò hæc comparatur, vobis abusus est, earumque ad peregrinam atque inter authores insolentem significationem detorsio. Reiiicitur ergo: tum quia logica artificialis infundi à Deo potest, quidni enim? at eo euentu sine libro & magistro humano haberetur: tum etiam quia logica artificialis & naturalis, non tantum ex modo, quo utraque comparatur, distinctæ sunt, ut hi authores, verum etiam secundum se & quoad substantiam, sicut virtutes acquisitæ & infusæ iuxta ipsos & plerisque, non solum quoad modum, sed & quoad substantiam discriminantur; utramque logicam compendio tetigit Albertus in init. prædicab. *logica modus natura incipit, perficitur autem arte, vñ & exercitio.*

70

Præmitto secundò, necessitatem vnius rei ad aliam duplicem quoque esse; aliam simpliciter talem sine qua videlicet absolute res comparari non potest, quomodo vita loco motiua ad iter peragendum necessaria est: aliam secundum quid talem, sine qua res non tam facile ac cito haberi potest, quo pacto equus ad iter peragendum necessarius dicitur. Præmitto tertio, necessitatem præterea duplicem esse, scilicet physicam & moralem: Tum res est necessaria physice quando ea deficiente, hoc ipso deest aliquod requisitum physicum ad operandum, qua necessitate requiritur aduertentia, ac deliberata cognitio ad cohibendos motus primò primos. Tum verò res est necessaria moraliter, quando ea absente adest nihilominus omne requisitum physicum ad operandum; sed & adest tanta difficultas ad operandum, ut potentia nunquam sit ad opus proditura; qua necessitate auxilium aliquod gratiæ maius communi ordinario requiritur ad grauissimam tentationis victoriam. Præmitto quarto, duobus etiam modis scientiam sumi; primo quoad substantiam, id est directam certitudinem & euidentiā, prout nimirum ea tendit dumtaxat in suum obiectum, quin ipsa alteri actui obiciatur: secundò, quoad modum quandam perfectionis, & reflexam certitudinem & euidentiā, quatenus videlicet scientiæ nostræ falsum subesse non posse, eamque legitime definire, diuidere, & argumentari certò & manifestè cognoscimus.

71

His adnotamentis præiactis, dico primo; logica naturalis est necessaria ad omnes scientias comparandas, non tantum secundum quid, sed etiam simpliciter, nec solum moraliter, verum etiam physice, nec quoad substantiam modò, sed etiam quo ad modum, & reflexam certitudinem, atque euidentiā. Constat hæc assertio, ac mea quidem opinione manifesta est: namque sine lumine naturali intellectus, quod à Deo signatum est super nos,

fieri nequit, ut alias scientias vllò modo consequamur. Dico secundo: logica artificialis, ea videlicet, quæ definiendi, diuidendi, & argumentandi leges tradit, aut alio quouis modo verum à falso dilucidat, saltem secundum quid necessaria est ad alias scientias etiam quo ad substantiam comparandas, cum sine eius præsidio non tam citò, ac facile comparantur: cæterum non est simpliciter necessaria ad eas ita acquirendas: primò quia dialectica ipsa sine præuia directione alterius scientiæ comparatur, alias daretur progressus in infinitum: igitur & reliquæ scientiæ, præsertim quæ non sunt magis arduæ & difficiles, sine præuia directione dialecticæ, aut alterius scientiæ simpliciter adquiri possunt quo ad substantiam suam, & directam certitudinem, atque euidentiā. Secundò, quoniam dialectica non est simpliciter necessaria ad scientiam immediatam, & intuitiuam rei quo ad substantiam, usurpatam, ut enim intuitiue cognoscam diem esse, aut noctem appetere, dialectica opus non est: igitur nec est necessaria simpliciter ad scientias abstractiuas, & immediatas, quæ discursu constant, quo ad suam substantiam: Namque quod in modo tendendi abstractiue & intuitiue aliquod sit vtrinq; discrimin, parum attinet, quod ad præsens attinet: quemadmodum amorem aliquem efficacem & perfectiorem esse, & alium inefficacem atque imperfectiorem, efficere non potest, ut vnus potius quam alter directione cognitionis simpliciter egeat. Tertio, ut euidentiā abstractiua immediata seu mediata cognoscam hominem esse animal, dialectica simpliciter opus non est, ut experientia testatur; igitur ad comparandam substantialiter scientiam aliquam abstractiuam totalem, ex pluribus euidentiis abstractiuis conflata, dialectica simpliciter necessaria non erit: veluti, si vnus actus amoris sine directione cognitionis haberi posset, & collectio plurium amorum posset absque ea voluntati inesse. Denique quarto ante Zenonem Eleaten primùm dialecticæ artis inuentorem, Thales Milesius & alij eius æui sapientes rerum naturalium scientiam consequuti sunt sine logica præsidio: Antiquissimi etiam illi Ægyptij ante dialecticæ inuentionem mathematicas disciplinas adepti sunt; ea quæ & hodie multi logicis præceptis nequiquam imbuti, magna cum laude assequuntur. Haud igitur dialectica ad alias scientias quoad earum substantiam, omnino & simpliciter necessaria est.

72

Dico tertio logica artificialis est simpliciter & omnino necessaria ad acquirendas alias scientias, quoad earum certitudinem & euidentiā reflexam, modumque quandam perfectionis. Ratio huius assertionis est, quoniam tunc alias scientias perfectò quodam modo, & euidentiā ac certitudine reflexa potimur, quando nobis constat actu habitue, earum argumentationes legitimas & formales esse, hoc est regulis & legibus bonæ argumentationis conformes: item earum definitiones, diuisiones aliasque differendi rationes similiter se habere, & præceptis definiendi, diuidendi aut aliter differendi consentaneas esse. Atqui hæc scire nullatenus possumus sine logica artificiali: sicut enim iustum dicitur respectu habito ad ius alterius, ita argumentatio formalis & legitima respectu formæ & legum bonæ argumentationis: unde quemadmodum cognosci nequit, an aliqua datio aut acceptio iusta sit, quin de iure dantis aut accipientis constet, ita dignosci nequit, an argumentatio aliqua formalis & legitima sit, nisi munere dialecticæ artificialis certisimè, de forma ac legibus argumentationis. Par autem

autem est ratio definitionis, diuisionis & cuiusvis alterationis differendi modi.

73

Dico quarto, necessitas dialecticæ ad alias scientias nanciscendas, non est moralis duntaxat, sed physica. Etenim si sermo sit de necessitate secundum quid, quæ merito potest esse magis controuersa, ea quidem logica conuenit intuitu aliarum facultatum; demus enim duos homines, alterum dialecticum, alterum dialectica minimè instructum, & ingenio ac ceteris omnibus pares; sanè eodem spatio temporis, qui dialecticæ est, ignarus est tot syllogismos, definitiones, ac diuisiones erroris expertes nequibit simpliciter efficere, quot ille qui dialecticæ gnarus ac sciens est: at hæc impotentia orietur proculdubio ex defectu alicuius requisiti physici ad operandum, & non ex aliqua difficultate morali, aut renitentia voluntatis: supponimus enim ambos ceteris omnibus pares, & consequenter æque ad operandum pronos atque inclinatos. Deficiente ergo logica artificiali, deest hoc ipso physicum aliquod requisitum ad alias scientias comparandas, adeoque ad eas logica quantumuis secundum quid, tamen physicè est necessaria. Quod si sermo sit de necessitate illa omnimoda ac simpliciter tali, qua dialectica ad alias disciplinas quoad modum nuper explicatum requiritur, eam esse physicam adhuc clarius constat: Quidquid enim omnifariam & absolute necessarium est, physicè necessarium censetur, eoque absente semper abest aliquid, sine quo nullatenus operari possumus, ne dum ad operandum propensi sumus.

74

Quæ de necessitate omnimoda logicæ naturalis prout à nobis explicata ad alias scientias dicta sunt, ea inter omnes constant: quæ autem de necessitate logicæ artificialis non morali sed physica, non simpliciter sumpta, sed secundum quid, si sermo sit de aliis scientiis quoad substantiam, at non secundum quid, sed simpliciter sumpta, si sermo sit de aliis scientiis quoad modum, eumque iuxta vulgarem loquendi usum ab illarum substantia multoties indifcretum, ea inquam omnia etsi non inter omnes constant, at certè inter plerosque: Atque ut aliquos memorem, ea luculenter confirmat Aristoteles 1. phys. & 1. metaph. nec non etiam 2. aliique locis. Plato 6. de repub. Augustinus lib. 3. contra academ. cap. 17. & 1. 2. de doctrina Christiana cap. 31. & lib. 2. de ordine c. 13. Cicero 1. 5. tuscul. quaest. & 1. 2. & 3. de finibus & 1. de perfecto oratore, Clemens Alexand. 6. Strom. Galenus 1. 1. simplicium medicam. Item Fonseca 1. 2. metaph. cap. 3. quaest. 4. sect. 1. 2. & 3. Auerfa quaest. 1. log. sect. 4. Iauellus tract. 1. cap. 4. Conimb. quaest. 6. proem. art. 1. & 2. Hurtradius disp. 2. log.

75

Consultò dixi, doctrinam traditam constare inter plerosque ab eisque vel exprimi vel insinuari, haud tamen omnes eam sequi. Etenim aliqui putant logicam esse simpliciter necessariam ad alias scientias, quoad substantiam etiam, comparandas, utpote Albert. c. 3. in Porphyrium, Ægidius Romanus init. post. Burleus & Petron. ac nouissime P. Amicus tract. 1. log. q. 1. dubit. 2. Contra verò Epicurei Cirenaici apud Ciceronem & Senecam aliosque logicam ad alias scientias necessariam etiam secundum quid aut præuia ratione vtilem esse negabant. Horum opinio nullo probabili argumento niritur, & quos pro se cauillos habet, eos huius initio capitis diluimus. Illorum autem sententia iis solet argumentis probari, quæ duntaxat necessitatem secundum quid logicæ ad alias facultates persuaident, quare eis referendis aut refellendis non immorabor. Hoc tantum perstringam, quod aliqui-

P. R. Lyncei Philosophia Tom. I.

bus difficilius quam par est, visum: Ad omnes conclusiones aliarum facultatum qualiterunque sumptas, simpliciter necessaria est cognitio bonitatis illationis, qua videlicet eas ex præmissis suis rectè sequi atque inferri certo scitur: Huiusmodi autem cognitio est propria dialecticæ; hæc ergo ad alias scientias quomodolibet acceptas, omnino & simpliciter requiritur. Ceterum hæc ratio parum habet momenti. Nam primo, notitia quam obicit, non est logica docens, qua de agimus, sed logica vtens, quippe quæ est rebus concreta, & super actus & obiecta consequenter aliarum facultatum in particulari reflectit, earumque conclusiones ex præmissis suis quæ equantur, attingit; At sine logica vtente alias scientias nullatenus acquiri posse, supponunt velut exploratum omnes authores, qui eam ab actibus aliarum facultatum indistinctam esse volunt; reliqui vero non de ea sed de docente sermonem habent, ut diximus. Rursus qualicumque sit ea cognitio bonitatis illationis, eam ad nullam conclusionem inferendam necessariam esse simpliciter & absolute, in Metaphysica constabit: ubi etiam quæ ad talem necessitatē eius cognitionis probandā hic præpropere ab aduersariis adduci solent, fusè improbantur, huic enim loco non conueniunt.

76

Ad extremum breuiter explicemus, an logica proprie subalternetur aliis scientiis, aut è conuerso? Neutra subalternatio nobis est admittenda, si principiis in met. lib. 8. tract. 4. statuendis stare velimus. Ibi enim ostendemus, veram subalternationem eam esse, merito cuius omnia, aut certè, pleraque principia vnius facultatis suadentur à priori per ea quæ sunt alterius propria: Item bifariam contingere, ut principia vnius disciplina ita dependant in cognoscendo, à principiis alterius superioris: primum ratione finis, si nimirum altera suppeditet alteri instrumenta, quibus sit operatura, aut, quod instat est, opus alterius velut finem remotum, ac mediatum respiciat; aut secundò ratione obiecti, si videlicet id quod est vnius contineatur sub obiecto alius, eique differentiam non essentialem, sed accidentariam superaddat. Priori modo subalternatur frænofactoria equestri, & hæc militari. Posteriori verò modo Medicina, quæ est de corpore sanabili, dicitur subalternari Physicæ, quæ est de corpore in communi, ac musica, quæ est de numero sonoro, Arithmetica, quæ versatur circa numerum in communi. Ex hac autem doctrina fit, logicam aliis scientiis non subalternari: Cum enim eas præcedat tempore & natura, sequitur, ut ab earum lumine non dependeat, & principia sua sine aliena ope à priori ipsa confirmet. Rursus haud efficit suggestivæ instrumenta, quibus aliæ scientiæ operentur: tum quia multæ sunt duntaxat inspectiue; tum etiam quia si res ad viuum resecetur, logica ipsa non distinguitur ab instrumentis & præceptis suis; qui ergo fieri potest, ut ea efficiat, & aliis scientiis suppeditet? Iam verò obiectum logicæ siue subiectum hæc enim nomina modo iuxta habemus) aut est ens rationis aut modus sciendi, aut veritas formalis ac reductio actuum intellectus, aut demonstratio, aut aliud quoduis; & quodcumque præoptes, obiectum dialecticæ non continebitur sub obiecto vllius alterius facultatis, sic ut illud per differentiam accidentalem contrahat. Nec ergo ratione finis, nec ratione obiecti dialecticæ aliis scientiis proprie subalternatur.

Efficitur secundò ex doctrina superiori, disciplinas alias è contrario non subalternari dialecticæ: per huius enim principia non probantur à priori ea quæ

77

G 2 sunt

sunt illarum propriæ: nam physica, metaphysica, & mathematica dignitatum suarum probationem à priori aliunde non mutantur, ad eamque seipsis sufficiunt, ut exploratum omnibus: reliquæ vero scientiæ inferiores, aut similiter institutæ sunt: aut certè à Physica, ac Mathematica probationem à priori suorum principiorum accipiunt: nulla ergo à logica: præsertim cum aliud sit, hanc extrinsecè dirigere ad alias scientias: aliud tales veritates continere, quæ sint causæ, & principia intrinseca eorum, quibus velut principiis etiam aliæ scientiæ vtuntur, ut cernere est v. g. in prudentia affectus nostros dirigente, & fide spem, & amorem accendentes, & quavis demum cognitione ad amorem instant: quin tamen propterea his euentis vna principia à priori per alia firmari contingat. Ad hæc, aliæ facultates non parant instrumenta, quibus Dialectica vsura sit, sed potius ea vtuntur, & posteriores sunt:

neque etiam alicuius earum obiectum collocatur accidentaria ratione sub obiecto Logicæ, quale illudcunque statuas: haud igitur finis gratia, haud etiam beneficio obiecti, aliæ facultates Logicæ strictim subalternantur.

At enim aliæ scientiæ improprie subalternantur Dialecticæ iuxta dicta citato tract. præcedenti: ab ea namque omnes iuuantur, eiusque regulis debent; quod inoffenso pede, & absque erroris lapsu procedant. Contrà etiam Dialectica subalternatur improprie aliis scientiis: quippe quæ ab eis mutuo iuuantur, potissimum vero à Metaphysica: hæc etenim aliqua eius principia à priori probat, siue, ut verius dicam, ei probationi rationes à priori subministrat: veluti cum duas contradictorias non posse esse simul veras, conuincitur à priori, per hoc quod impossibile est aliquid simul esse, & non esse; aut non posse esse simul falsas, quia quodlibet est, vel non est.



LIBER TERTIVS

DE VERITATE SIMPLICI, siue de Termino.



TRACTATVS I.

De essentia veritatis, siue termini.

CAPVT I.

Nonnulla præmittuntur ad definitionem termini.



INTEAQUAM ad varias termini definitiones deueniam, aliqua clara suppono, alia obscura, & dubiosa prius discutio: quod sic in definiendo termino liquide, & inoffensè procedam. Præmitto ergo primo: omne quod in propositione subiicitur, & prædicatur, in recto, & ut quod, eius terminum dici oportere: veluti in hac propositione, *homo est animal*, particula *homo*, & particula *animal*, termini sunt proculdubio: id quod & omnes fatentur, & exemplo termini physici apertè suadet: siquidem vbi extremum continui physici, eius terminus sit, extremum continui intentionalis, & enunciatiui, quale est subiectum, & prædicatum in recto, & ut quod v. g. *homo*, & *animal* in prædicta enunciatione, eius terminus nullo potest iure negari. Præmitto secundò, aduersus multos Recentiores, copulam propositionis, qualis est in eâ, quam nuper posuimus, vocula, *est*, aut, quod per eam significatur, strictè terminum propositionis dici posse, & debere. Pro quo hæc mihi rationes se se

offerunt. Medium syllogisticum, cuiusmodi est homo in hoc syllogismo, omnis homo est animal: Petrus est homo: ergo Petrus est animal: medium, inquam, syllogisticum non minus est terminus syllogisticus, quàm maius, & minus extremum, quorum alterum de altero in conclusione inferitur, ac prædicatur; qua de causa syllogismus tribus terminis constare dicitur: simili ergo ratione medium enunciationis, siue vnio non minus eius terminus dici debet, quàm extrema, quæ per illam copulantur: quæ enim disparitatis ratio inter vtrumque medium excogitari potest?

Dicet forsitan aliquis, medium syllogisticum esse terminum propterea quod non semel in syllogismo subiiciatur, aut prædicetur: ac per consequens extremi rationem sortiatur: nihil autem simile in copula enunciativa, aut propositionis medio cerni. Contra, quoniam aliud est esse terminum syllogisticum, aliud esse terminum propositionis, qua syllogismus constat: sicut aliud est esse medium syllogisticum, & esse medium alicuius propositionis, qua syllogismus constituitur; cum particula, *est*, sit medium cuiusvis propositionis superioris syllogismi, non tamen sit medium syllogisticum proprie, sumptum, sed potius homo. Quod ergo medium, vnus & alterius propositionis extremum sit, efficiet ut illarum terminus sit, inde tamen quod terminus syllogisticus sit, nequitiam sequetur: quemadmodum ergo medium syllogisticum simul eius terminus est, non quia in vna aut alia eius propositione seorsim sumpta directum extremum terminusque est, sed quia totius syllogismi medium est, & veluti nexus, quo eius extrema copulantur; ita similiter, medium enunciativum titulo solius medij terminus ac pars enunciationis erit, quantumlibet illud nec subiici, nec prædicari vltro fateamur. Quanquam & hoc diffidendum nobis esse, & vnio-

nem